



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1764

VD18 90118049

§. 59. Fridericus Parmam obsidet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)

tres Prædicatores, ut exhortarentur ad
 sacram expeditionem contra Fridericum
 jam denunciatam. Sed hunc semper Im-
 peratorem agnoscebant multi Germaniæ
 Principes, nimirum Dux Saxoniae, Dux
 Bavariae, Marchio Misniae, Ordo Nobilium
 Austriae, Styriaeque, Archiepiscopus
 Magdeburgensis, Episcopi Passaviensis ac
 Frilingensis: nec Papa quidquam pote-
 rat præterquam imperare Legato suo, ut
 hos Præsules Lugdunum ad sanctam Se-
 dem accerferet, atque contra profanos
 censuras adhiberet.

Sæcul. XIII.
 A. C. 1247.

§. LIX.

Fridericus Parmam obsidet.

Interea Fridericus mense Majo hujus an-
 ni 1247 ex Apulia in Lombardiam nu-
 merofo cum exercitu profectus Taurinum
 usque processit. Lugdunum aditurus e-
 rat, ut coram Papa (sic dicebat) causam
 ipse suam ageret, & hujus æquitatem na-
 tionibus cisalpinis demonstraret: vole-
 batque mox redire in Germaniam, tur-
 bas ejusdem compositurus. Hoc iter in-
 gentem Papæ ac toti ejus curiæ conster-
 nationem incussit metumque, ne Frideri-
 cus tam magnis cum viribus veniens i-
 psis vim inferret. Sed terrorem dispulit
 S. Ludovicus, se, si Papa postulet, ei ce-
 lerrime cum tribus fratribus suis valido-

Mon. Pad.
Petr. de Vin.
xi. ep. 49.

Matth. Par.
p. 640.

Hist. Eccles. Tom. XX.

N^o que

Secul. XIII.
A.C. 1247.

IV. ep. cur.
124. Rayn.
n. 13.

Petr. Vin.
11. ep. 37.
Rayn. n. 17.

Matth. Par.
p. 643.

que exercitu subventurum pollicitus. Papa ardente studio gratias egit; oravit tamen, ne Rex prius, quam ab ipso monitus esset, se viæ committeret. Dabat 17. Junii. Forsitan Papa jam sciebat, quid in Lombardia ageretur. Nam ejus propinqui & amici, qui Parma ejecti fuerant, ut absentiam Friderici in rem suam verterent, congregati, facta cum incolis conspiratione medio Junio urbem intrarunt, ac necato Prætoze Friderici partes expulerunt. Gregorius Montelongius a multo tempore Papæ in Lombardia Legatus Parmæ suppetias tulit, velut etiam Cardinalis Octavianus, quem Papa nuper mense Aprili eo miserat: sic civitas in fortem sui defensionem intenta erat. Fridericus tunc, cum iter Lugdunum verus susciperet, comperta seditione excandescens, cum exercitu relegit viam, & Parmam obsessum venit. Atque ut doceret, se nolle nisi capta civitate discedere, castra posuit in speciem urbis, quam Victoriam nominavit, ibique transegit hyemem, expugnationem Parmæ tam certo sibi promittens, ut eam in deditionem accipere recusaret.

§. LX.

Daniel Russiæ Dux agnoscit Papam.
Papa Innocentius interim diversos schismaticos ad officium reducere conabatur.